

XLVIII. *Observatio congressus Veneris cum Sole, habita Lugduni Batavorum, die 6^a Junii 1761. à Joanne Lulofs, in eadem Academ. Astronom. Matheſ. & Philosoph. Professore. Communicated by Cha. Morton, M. D. Secretary.*

Read March 4, 1762. CUM diu expectatus atque merito deſideratus dies sextus Junii hujus anni appropinquarat, ut celebratissimum Veneris transitum, accuratiori calculo, tum secundum tabulas ſolares Venereasque Halleii, tum etiam secundum ſolares Abbatis De la Caille, Halleii verò Venereas à me ante duos ferme annos ſubjectum, legitima methodo, quæ ſincero astronomo fatisfacere posſet obſervarem, inde à fine mensis Martii omni virium contentione invigilavi directioni horologiorum, quibus obſervatorium noſtrum eſt inſtructum, eoque fine per repetitas obſervationes, ut vocantur, correspondentium altitudinum Solis de novo examinavi telescopii meridionalis, à Siffono, artifice Londinenſi, parati, ſitum; ut in re tam momentosa omnem circumſpectionem adhiberem, ne forte ē ſuo poſitu, quem per aliquot centenas obſervationes ante plures annos determinaveram, temporis tractu eſſet deturbatum. Postquam certiſſimus eram factus, omnia recte ſeſe habere (cum die quinto tranſitus Solis per medium telescopii filum vix $\frac{1}{4}$ unius minuti ſecundi differret à tempore, per ſat numerosas obſervationes paſſum admodum à ſe invicem, quoad iſum momentum tranſitus, diſſentientes, definito); postquam quartus et quintus Junii, ſine nube fuiffent elapſi,

elapsi, vespertino tempore diei quinti circa horam decimam cœlum Leidense undique et undique tegebatur, ita ut spes læta rarum hocce phænomenon observandi multum deminueretur.

Die sexto observatorium conscendens hora 3 30' (in quo præcedenti die duos quadrantes, telescopium Newtonianum 7 pedum, ab Hearnio constructum, machinam parallacticam Cassinianam, cui applicaveram telescopium 2 pedum, tubum dioptricum 8 pedum, in cuius foco positum erat filare reticulum 45 graduum, disposueram) cœlum nubibus velatum deprehendebam. Verum circa horam 4 10' per exiguum nubium interstitium conspicere mihi licebat Solem, Veneremque in ejus facie, instar maculæ nigricantis, sic satis irregularis figuræ; ita ut margines (procul dubio ob refractionis vicissitudines) quodammodo dentatae apparerent: verum, cum vix per unicum temporis minutum phænomenon hocce præbebat se se conspicendum, neque quadrantem, more Cl. De l'Isle, neque telescopium Newtonianum, (cui adplicueram egregium micrometrum Bradleianum, ab Hearnio, juvante Siffono, paratum) adhibere mihi licuit, ut verum Veneris situm detegerem.

Sæpe dein Venerem conflexi per aliquot secunda, ad sumnum per unum aut sesqui-minutum: quater vel quinques per nubes tenuissimas, absque vitro colorato, aut fumo inquinato, tum mihi tum Sociis apparuit ut corona lucidiori cincta, quæ latitudinem habere videbatur $\frac{1}{6}$ vel saltem $\frac{1}{7}$ diametri Venereæ: attenuamen per vitra colorata, cum fulgentior quodammodo videbatur Sol, nihil prorsus hujus coronæ se monstrabat; ita ut dubius hæream, an non hocce phænomenon fallaciæ opticæ totum sit tribuendum.

Tandem

Tandem hora 8 26' 50'', tempore vero, observavī contactum interiore, sed per nubes tenuiores, ita ut vitrum fumo inquinatum, imo vitra cœrulea et viridia, (quæ ex præscripto Cl. De l'Isle ad manus erant, purissima) seponere debuerim: ast duobus fere minutis antequam contactus exterior celebraretur, densis nubibus tegebatur Solis facies; quæ cum transierant, nulla amplius Veneris apparebant vestigia, sed exacte circularis et nulla foveola deturpatus erat Solis limbus. Conspexi autem contactum interiore per telescopium Newtonianum ita dispositum, ut nonagesies circiter diametrum objectorum augeret.

Id verò prorsus mirum existit, Veneris circumferrantiam etiam in contactu interiori, (cum Sol, ad altitudinem insigniorem evectus, à refractionum vicissitudinibus magis erat liberatus) quodammodo ferratam apparuisse: quod ipsum in causa est, quod paucis aliquot secundis, tribus scilicet vel quatuor, serius contingere potuerit hicce contactus.